

Andreas Cicius episcopus Premislensis,
Sigismundo primo regi Poloniae.

37

Sacra regia maiestas et domine, domine de-
mentissime. Post humillimam mei mearum:
que orationum commendationem. Veniens hester-
no die Premisliam, inveni totam ferme huius
terre nobilitatem, huc a magifico domino Pe-
tro Kmitya de Wisnicza, capitaneo et marschal-
co maiestatis vestra serenissima, invitatum, lu-
dis et symposiis more optimi praefecti, in his
angustis refici, et ad communem necessitatem
animari et conciliari. Cum quibus omnibus eius
magnificentia, ingressu meo pro sua virtute
officiosissime honestato, recensuit que mala
pridie sibi essent ea Leopoli et aliunde nuntia-
ta, cum quantis copiis Turci et Tartari, instru-
cti etiam omnibus bellicis instrumentis, iam
non procul abessent. Adorti sunt me omnes
magnis precibus, et obortis etiam lacrimis, in-
tercederem ad maiestatem vestram, ut se intan-
to discrimine non desereret, et malo imminen-
ti aliquod remedium quamprimum adhiberet,
persuasum habentes me tanti esse, ut efficere
id apud maiestatem vestram valeam, morbum:
que reipublica tam leuem, ut vel a mundinali
medico succurri illi possit. Ego vero qui re-
vens a maiestate vestra veni, sciens eam es-
se rerum omnium difficultatem et confusionem,
ut

ut si septem illi Graecorum sapientes nunc
consulere velint reipublica, quod consulerent
non haberent, nescio quid consulam, aut quid
petam à maiestate vestra, iam enim certum
videtur, motionem bellicam, nullius aliò qui suo
more ac ordine utilitatis, immutatam, ad scri-
bendam vero militiam, scio nullum esse ner-
vum. Venire huc autem maiestatem vestram
cum umbratili solum terrore, et in spem pre-
catorum subsidiorum, et non cum certis ac
sufficientibus ad reprimendum hostem copiis,
nemo sanus consulit. Id enim esset sine pen-
nis volare, et simul omnia in discrimen
adducere, hostibusque in contemptum perper-
tum venire. Tantum enim abest ut secre-
tum sit, quidquid secretum esse debeat, ut
huc veniens pleraque vulgo iactari cognove-
rim, quae me isthic apud maiestatem vestram
existentem, preteribant. Iam ut nunc sunt
mores et rerum omnium abusus, videretur
onus defensionis maiestati vestra debitum, in
eam solam ipsam reidi, quod atique si quid
proderet vestrae maiestati, quae sua est ex-
celsa virtus, tolerabilius foret. Sed utranque
se res habet, utcumque nullus videatur con-
silia locus, non possum tamen non suppli-
care maiestati vestrae serenissima, pro mea
debita et deditissima fide, ut his terris, ne
in praecipua veniant, quoquomodo prospiciat, quas
ego transiens, et inter tot clades et calamitates,

tot

117

tot oppidis, tantis villis, tam generosis homi-
num animis, tanta rerum omnium copia
refertas, comperiens, non possum nisi florem et
clipeum regni universi censere. Id si confrin-
getur, quid lethali obstat vulnere, non video.
Clementissime res, intelligunt omnes sum-
mum imminere discrimen, intelligunt suam
nimiam libertatem, in extremam et turpissi-
mam vergere servitatem, maiestatem vestram
legibus et statutis coarctatam, cum hoc prin-
cipis esse debeat in bene instituta republica,
quod anima in sano corpore, ut aequae mem-
bris omnibus vel his aut illis, prout res cai-
git, movere possit, cunctaque vigore suo ver-
getaret, eam voluntatem habere vel id posse
maiestatem vestram, omnes desiderant, scientes
quam longe absit ab omni tyrannico affectu.
Id si foret, tum demum in his angustiis cre-
dunt se servari posse, alioquin videntes viden-
tisque perire oportere. Supplico humiliter mai-
estati vestre serenissime, ut hunc nuntium omni-
um nostrum clementer audire, et ea quae pre-
sumptiosius fortasse scribo, boni consulere di-
gnetur, nam non aliud quam fides mea, me-
umque in maiestatem vestram et commune
bonum, studium et affectus, ac huius nobi-
lissimae militiae maiestatis vestre, ingentes pre-
ces me huc impulerunt.

Domine Deus servet maiestatem vestram
serenissimam diutissime sospitem et felicem,

cui me

cui me et orationes meas etiam atque etiam
humillime commendo. Datum Bremis die
nona Junij, anno Domini millesimo quingen-
tesimo vigesimo quarto.